

Callenberg.

*Nga-ga-6*


Be  
3521



Ha 179

Xga 96. Q







# PROGRAMMA

Quo

## De studio historiae literariae academico

differit

Suasque in illam praelectiones honoratissimis  
commilitonibus offert

IO. HENR. CALLENBERG



Hale, in typographia instituti Iudaici. MDCCCXXXIII.

\*\*\*\*\*

### §. I.

**O**Mne studiosa vitae curriculum in quatuor commode distribuitur tempora, scholasticum, academicum, candidatorium, actuosum. Ultimo eum tribuo statum, quo quis munere fungitur publico, plurium hominum inseruiens commodis, dum collectos doctrinae thesauros dispensat. Singulis istis temporibus sua convenire studia, non ibit inficias, qui diversas ingenii perpendit aetates, artium ac scientiarum discrimina, aliasque res, hoc vitae genus circumstantes. Non solum certa disciplinae uniceque tempori sunt accommodatae, sed certa etiam disciplinarum quarundam pensa. Jam si historiae literariae consideramus amplitudinem, dictis temporibus singulis partem quandam ejus esse propriam, facile apparebit.

### §. II.

Dicam, quid degens in academia iuuenis discere ex illa historia debeat, siquidem ei propositum sit, ad solidam eruditionis decus provehit. Dividere vero historiam literariam in pensa, atque hac  
):(  
distri-



distribuere in quatuor illa tempora, non patitur tabulae hujus angustia. Paucis igitur, ac sine ambagibus indicabo, quodnam historiae hujus sit pensum academicum. Id in eo positum arbitror, ut quisque earum scientiarum, quas tractat ex professo, fata praecipua, primariosque scriptores noscat accurate, reliquas autem historiae literariae partes summam perlustrat, ea tamen cum industria, ut deinceps, si res poscat, suo Marte, earum quoque accuratorem cognitionem facile sibi possit comparare. Adferrem rationes ad confirmandam, quam dixi, sententiam: at justo longior foret argumentatio. Quotusquisque prudentiae literariae praecpta tenet, nec profusus in historiae, de qua loquimur, campo hospes est, is sane me a vero haud aberrare, iudicabit.

### §. III.

Nunc ostendere deberem, quid, probata hac pensae historici designatione, tam doctoribus, quam auditoribus academicis in eius tractatione observandum esse videatur. Sed illis regulam praescribere arrogantiae foret. Id tantum optemus, ut, si non quotannis, saltem unoquoque biennio, tam in universam historiam literariam summaria, quam in primariorum disciplinarum historiam fusiores, curatoresque habeantur praelectiones; item, ut quisque ejus, quam profitetur, scientiae, tradat quoque historiam, eamque plenior. Vidimus hic venerandos theologos, illustres iurium doctores, atque philosophos, qui saarum disciplinarum historiam enarrarunt; ac etiamnum habemus praestantissimum medicae artis professorem, qui pro sua quoque parte idem laudabiliter exsequitur. Nec dubitandum, plures passim doctores academicos hujus generis institutionem inchoaturos esse, nisi metuerent, ne idem sibi eueniat, quod olim accidit Altingio. Hic cum, praeclearo instituto, auditoribus doctrinarum theologiarum exponeret historiam, ab his rogatus fertur, ut, omisso hoc labore superuacaneo, *thesin*, quam dicunt, tantummodo doceret: in quo ille quidem imperito &, ut videtur, maxima ex parte mercenario gregi velificari coactus fuit.

### §. IV.

Ad id progredior, quod auditoribus agendum sit, ut ad eam  
rei



rei literariæ peritiam perueniant, quam academicæ vitæ assignauit. Totum id uertitur in auditione prælectionum, quæ modo sunt delineatæ, & in usu aliorum quorundam præfidiorum. Ex numero horum sunt scripta quædam compendiosa, bibliothecæ, tabernæ librariæ; eruditi viri, quorum consuetudine etiam extra auditoria frui licet. Non est autem, ut quis queratur, insignem se temporis iacturam esse facturum, si eam, quæ poscatur, historiæ isti debeat adhibere diligentiam. Pauca singularum hebdomadum horæ sufficient acquirendo filo huic Ariadnæo, quod ipsi posthac in omni reliquo studiorum cursu maximæ utilitatis fructum præbebit. Superfedeo autem laudatione historiæ, tam iucunda, quam utilis, cum typis exscripta prosteret, autore professore Jenensi, *Stollio*, cuius magna sunt merita in rem, a se prædicatam.

§. V.

Superest; præstantissimi commilitones, ut aperiam, qua fiducia si non ducem, comitem certe, paululum antecedendo exploraturum vestigia, vobis in hoc studio me offeram, quamque uiam sim ingressurus. Mihi a primis adolescentiæ annis obtigit occasio plures diei horas transigendi in Gorhanis bibliothecis instructissimis, nempe in ducali, ac in ea, quam *Vockerodtus*, celebris literator, collegerat. Huc delato non solum una alteraque patuit bibliotheca priuata, sed publicæ quoque, quam orphanotropheum habet, primum per plures annos singularis concessus fuit usus, tandem quoque data præfectura. Quadriennium consumpsi in hujus ordinatione, cum in ea rationem potius sequerer, quam consuetudinem. Itaque amici nonnulli, fautoresque, rati, me hoc pacto quandam adsecutum esse peritiam, qua aliis quoque prodesse possim, suasores fuerunt, ut reliquis literariis dispungam prælectiones. Feci id superioribus annis, idemque hoc etiam semestri spatio sum factururus.

§. VI.

Summa eorum, circa quæ meus versabitur sermo, typis excuditur, ut habeatis, carissimi auditores, propositi mihi ordinis conspectum, & tam præparationis, quam repetitionis subsidium. Exemplo præiuit *Gundlingiana* solertia. Ipsas *Gundlingii* summas dedarandi

darandi, fusiusque exponendi cepissem consilium, si ad omnes disci-  
plinas ejus se extendisset delineatio. In animo tamen habeo, se-  
qui illius prudentiam in potioris utiliorisque materiae delectu.

§. VII.

Atque hæc mea erit methodus, ut rerum capita neruose illu-  
strem, fontesque ostendam, ex quibus amplior eorum notitia hauriri  
possit. Superiori tempore fusior fui in exponenda theologiae  
historia; in præsentis vero pleniorẽ explanationem cum philoso-  
phia practica, imprimis politica, tum iurisprudentia historia nan-  
ciscetur: reliquas historiae literariae partes curate quidem, brevius  
tamen recensabo. Ad iurisprudentiam quod attinet, præjudicii amo-  
liendi causa, verbo commemoro, me quoque aliquandiu, subnas-  
cente occasione, acroasibus interfuisse iuridicis. Caterum prælectio-  
num mearum vigesimo hujus mensis die, hora XI - XII facturus sum  
initium. Libri recensiti secunda quarti dici hora pomeridiana in  
orphanotropei bibliotheca exhibebuntur ad evolendum. Cœleste  
autem Numen secundet incepta nostra, isque felicem largiatur  
successum, atque fructum. Scripsi d. ix. Maj.

CLD 17CC XXXIII.



Simul eorum, cum quibusdam...  
hinc, in hanc, certam...  
speciem, & tam...  
exemplo...  
dandi



Be 3521. 8<sup>u</sup>

S

ULB Halle

006 907 334

3



125





# PROGRAMMA

Quo

De studio historiae literariae academico

differit

Suasque in illam praelectiones honoratissimis  
commilitonibus offert

IO. HENR. CALLENBERG



Hala, in typographia instituti Iudaici. MDCCCXXXIII.

